Adversaria Tulliana.

Veterum scriptorum critica, quae dicitur, inquisitio cum subtilitate atque adeo elegantia interpretationis ita coniuncta et conexa est, ut duae istae artes non modo divelli non possint, sed altera alterius opis fere semper indigeat. Quoniam enim nullum veterum litterarum monumentum ad nostram aetatem pervenit sine vitiis vel fortunae ludibrio vel librariorum incuria vel grammaticorum sedulitate contractis, quicumque se codicum verbis ac vetustatis auctoritati addixit, ne falsa pro veris amplectatur aut perplexa et obscura venditet pro simplicitate aperta, saepe numero in periculo versatur.

Arte ac iudicio traditas vetustate litteras qui constituere et emendare audeat, eum haud raro inligari falsae opinionis errore negari non potest. Quidquid enim homines agimus aut cogitamus, errori est obnoxium. Quanto autem magis peccata sollertiae et industriae quam inertiae et desidiae vitia excusanda videntur: illis et hominum ingenia acuuntur et litterarum studia augentur, his obruuntur animi stupore et ignavia et superstitione, litterarum vero incrementa impediuntur. In scholis quidem stolida illa vetustatis reverentia et fiducia mentes discipulorum abstrusis potius pravitatibus imbuuntur quam ut ad veritatis studium excitentur atque amore simplicitatis elegantiaeque efferantur. Quis enim non aut legendo accepit aut audiendo cognovit, nihil tam absurdum excogitari posse, quod non ab admiratoribus traditae scripturae ad explicandum ac tuendum admoveatur. Hinc artificia illa omnia interpretantium philologorum, quae dudum venerunt in infamiam! Hinc gloria et insolentia illorum, qui cum nihil ipsi cogitando reperire aut invenire queant, sibimet assumunt vel sobrii iudicii vel conservandae antiquitatis laudem! Quasi vero nesciamus plerasque coniecturas atque etiam emendationes nihil esse nisi obortas quaestiones aliorum hominum iudiciis subiciendas, aut ignotum nobis sit commune illud humanitatis et doctrinae fatum, ut nisi coniunctis multis multorum studiis ad verum non perveniatur!

Ut in omni philosophia sic in critica quoque ratione prima sapientia est stultitia, i. e. stulta traditionis admiratione, caruisse. Oculis animoque intentis qui vel scripta vel typis impressa examinat et ad artem ac rationem ponderanda censet, is nimirum sapere audet et iudicare incipit.

Quamquam parvum parva decent: non altiora mihi licet moliri, sed adversaria conscribo, quibus nec ad litterarum incrementa nec doctrinae laudem aspirem. Veterum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

enim litterarum amore ducor et attenta lectione delector. Quodsi scriptores meos relego, ubicumque haesitavi, traditionis fontes ipsos adeo et optimi cuiusque codicis testimonia repeto: inde subnascuntur coniecturae, quibus margines exemplarium compleo. Et quoniam litterarum potius cognitionem quam doctrinae dulcedinem sequor, non uni alicui scriptori vitam operamque meam consecratam volui, sed praeclarissima scriptorum exempla subinde omnia pertractavi. Hoc unum est ex meis vitiis, sed quod tamquam officium muneris omnibus magistris propositum et iniunctum esse credam.

Ciceronis lectionem diu intermissam scholastici muneris ratione nunc demum resumere cogor. Quare cum novissima quaeque aliorum inventa colligi et examinari in officio fuisse concedam, tamen non omnia a me perlecta aut perlustrata esse fateor: temporis et otii angustiis hoc facere prohibebar. Ac tamen meam operam non inutilem fore spero: si quid a superioribus praeceptum proferam, libenter iis concedam, si quid iidem melius emendaverint, mea me imbecillitate et humanae sortis iniquitate consolabor.

Pro Plancio 13: *Sin, quod magis intellego, temporibus te aliis reservasti, ego quoque, inquiet populus Romanus, ad ea te tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras.*

His verbis populus Romanus non id iudicare videtur, quod ex ratione et ordine sententiarum exspectaveris, Latiarem repulsa sua, quod voluerit, id ipsum a populo Romano tulisse, sed condicionum ratione illud potius efficitur: *si* Latiaris ad alia se tempora reservaverit, ipsum quoque populum ad eadem eum tempora revocavisse. Qua condicione tametsi simulationis quaedam acerbitas continetur, ea tamen parum eminet atque exstat. Sed tamen, nisi librorum manu scriptorum vestigia fucum et pravitatem traditionis manifestis signis coarguerent, veteris scripturae integritatem nemo facile addubitaret. Etenim in optimo libro T. non *quoque,* sed *autem* scriptum, pronomen vero *te* plane omissum est. Itaque iam dudum Orellius (cf. Wunderi Comm. p. 77) *item* potius quam *quoque* Ciceronis fuisse putavit. Sed omnis coniectura, quae non simul pronominis suo loco omissi rationem reddiderit, a veritate multum mihi abesse videtur. Ego sic existimo, codicis T lectionem *ego autē* in archetypo ex *ego ů̊te* depravatam fuisse, h. e. *ego uero te.* Hinc apparet, cur in eodem illo libro paulo post reponi non potuerit pronomen *te.*

Relinquitur ut condicionali enuntiato primariam sententiam particula *vero* distinctam subici potuisse demonstrem. Latine scientibus hoc suapte natura veri simile erit. In illa quidem condicionali sententiarum compositione prorsus eadem particulae *vero* ratio est, quae in responsis interrogationi subiectis apparet. Eius autem, quam supra posuimus, dictionis exempla satis multa congessit Wichert (Lat. Stil. p. 307). Praeterea mihi occurrit pro Flacco § 100: *quodsi provinciarum vos ratio magis movet quam vestra, ego vero non modo non recuso sed etiam postulo, ut provinciarum auctoritate moveamini.* Atque in hac particula simul quandam ironiae vim inesse, vix opinor est quod moneam, sed cf. Du Mesnil ad Cic. Legg. I 54.

Integra igitur Ciceronis sententia haec est: *ego vero te, inquiet p. R., ad ea tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quodsi codicis T auctoritatem eximiam, reliquorum librorum scripturam fucatam esse videmus, hunc unicum ducem sequi oportet etiam § 22: *isdemque nunc ex municipiis adsunt equites Romani publice cum legatione et testimonio.* Cicero quid dicere voluerit, facile intellegitur: ad iudicium venisse equitum Romanorum legationem cum testimonio vel laudatione. Quod autem supra ex oratione exscriptum est, nihil praeter hoc unum significat: equites illos Romanos in legatorum comitatu ad iudicium adfuisse. Haec perversitas dicendi adiumentis codicum TE facile tollitur, quibus in libris hoc scriptum exstat: *cum legatione testimonio.* Inde duae corruptelae originem traxerunt: *cum legatione et testimonio,* et *cum legationis testimonio.* Qua de re cf. Wunderi Comm. 91 sq. Apparet enim a vetere quodam grammatico, qui verba illa *publice cum testimonio* legentibus apertius declarari vellet, explicandi gratia in archetypo adscriptum fuisse supra versum *legatione.* Revocatur igitur Ciceronis oratio ad genuinam integritatem hoc modo: *adsunt equites Romani publice cum testimonio.*

Plancianam omnino multis veterum interpretum studiis et additamentis deformatam esse primus scienter docuit Wunderus, comprobavit nuper H. Keil, observationum criticarum in Cic. or. p. Plancio (Erlang. 1864) p. 12 sq. Huc pertinet etiam § 33: *equitum ego Romanorum in homines nobilissimos [maledicta], publicanorum in Q. Scaevolam aspere et ferociter [et libere] dicta commemorem?* Quae ego inclusi ea ex interpretationibus esse nata mihi certissimum est, cum praesertim *et libere* in lemmate Bobiensi (p. 259 Or.) desint. Nam libertas ipsa in aspere et ferociter dictis cernebatur, id quod dudum vere iudicavit Garatonius. Quodsi Scholiasta ille sic enarravit: *qui etiam in Q. Scaevolam fiduciam suae libertatis erexerint,* inde non hoc colligitur, quod Wundero placuit, verba *et libere* tamen in Scholiastae exemplari fuisse, sed contra elucet, si fuissent ea verba in vetustis exemplis, Scholiastam ea non hoc levi modo circumscripturum sed accuratius definiturum fuisse asperitatem ferociamque et ipsam libertatem dictorum. Nunc eum prorsus eadem qua Ciceronem explicatione usum apparet, qui, ubicumque asperitatem linguae in Plancii defensione attigit, eam nihil aliud nisi libertatem esse duxit, doloris potius quam contumeliae vocem.

Planc. 89 Cicero consilium ac rationem discessus sui exponens haec dicit: *hisce ego auxiliis salutis meae si iccirco defui, quia nolui dimicare, fatebor, id quod vis, non mihi auxilium, sed me auxilio defuisse: sin autem, quo maiora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum et parcendum putavi, tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum est hodieque est et semper erit maximae gloriae?* Quem ad modum reprehensio adversarii, sic Ciceronis confessio in praesens tempus atque in illud ipsum momentum, quo Planciana causa agebatur, non potuit non cadere, ut futuro tempori locus esset nullus. Nam quo tandem tempore futurum fuisse putabimus, ut nobilitatis auxilio se defuisse Cicero fateretur? Aliud quidem tempus nisi illud quo Cicero dicebat ego animo informare aut coniectura assequi non queo. Quamobrem si quando in aliis orationibus eisdem fere annis eandem rem eisdem prope verbis defendit, eiusdem Cicero verbi praesens tempus proferendum putavit, veluti in Sestiana 36: *nam si ego in causa tam bona — — cessi, nullius consilii fuisse confiteor.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ac fortasse erro, sed tamen quod sentio libere proferam. In extrema enim peroratione Plancianae § 102 Cicero contentis viribus haec dicit: *te tamen retinebo et complectar, nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor.* Hic quoque *profiteor* corrigi necessarium esse existimo. Nam simul et praesentem rem et futuram uno enuntiato a Cicerone comprehensam esse manifestum est. Profitetur enim eo ipso momento, quo loquitur, civis condemnati atque exulis se comitem sociumque futurum: professio ipsa apud iudices in praesenti fit, quam autem consecutionem habeat, eam ad futurum atque instans tempus pertinere opinor. Aliud quidem est comitem se praebere aliud se profiteri: qui se praebet comitem, hoc non exsequi potest nisi cum in comitatu est: in iudicio hoc ipsum non fieri sed pro exitu causae futurum esse sponderi potest. Sed qui profitetur se comitem, is aut tunc ipsum, cum profitetur, socius iam est, aut socium se fore professione sua promittit. Apud iudices autem quoniam ante exitum causae praesens rei actio cogitari non potest, una relinquitur rei futurae promissio. Excitat autem huius loci ratio me ad recordationem Sestianae § 107, ubi etiamnunc plerique haec edunt: *productus est ab eo Cn. Pompeius, qui se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo Romano* **praebuit,** quod verbum in libris manuscriptis omissum a Madvigio additum est. Supplicem autem qui se alicui praebeat, is re vera ad genua procumbat necesse est. Atqui Pompeium ad tantam humilitatem pro Cicerone descendisse, nemo suspicabitur nec Ciceronem hoc elocutum veri simile est. Supplicem autem qui se populo profitetur, is nihil nisi verbis demissis populo supplicat, quod quidem Pompeium fecisse probabile est. Accedit extrinsecus argumentum certissimum. Eandem enim Cn. Pompei benevolentiam eisdem prope verbis praedicavit Cicero in Pisonem § 80: *me Cn. Pompeius omnibus studiis suis complexus est, cum in contionibus non modo se defensorem salutis meae, sed etiam supplicem pro me profiteretur.* Atque hoc exemplum iam dudum allatum ab H. A. Kochio nuper infirmavit A. Eberhard, a ceteris editoribus falsa correctio obstinatius retinetur.

Planc. 88: *Ubi enim mihi praesto fuissent aut tam fortes consules quam L. Opimius quam C. Marius quam L. Flaccus, quibus ducibus improbos cives res publica vicit armatis* etc.

Vincimus aliquem *armis,* non *armatis,* quod quidem deliciis ineptorum interpretum relinquendum est. Nec minus soloecum est quod etiamnunc legitur in Pison. 11: *arma in templo Castoris videnti te constituebantur,* depravatum nimirum ex *armati* syllaba extrema oculi aberrantis infirmitate hausta.

Inter frequentissimas vocabulorum permutationes, quae in codicibus persaepe occurrunt et tamen lectorum animos non raro fallunt, *quod* est ex *quom (cum)* depravatum. Cuius rei tria proponam exempla illustria. Primum est Verr. IV 103: *insula est Melita, iudices, satis lato a Sicilia mari periculosoque diiuncta, in qua est eodem nomine oppidum, quo iste numquam accessit, quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit.* Nam universum oppidum quo pacto textrinum Verri fuisse Cicero dicere potuerit Halm et Richter—Eberhardi editio mihi praesto non fuit — explicare praetermiserunt. Nam quod Diodori Siculi (V 12) testimonium attulerunt, eo nihil nisi hoc probatur, plura in illo oppido textrina hominesque ei arti ad-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modum deditos fuisse. Alio quidem loco (IV 58) idem Cicero multo planius: *nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi iste non textrinum instituerit.* Quam ob rem illud mihi dubium non est, quin Cicero ipse reliquerit: *cum* tamen isti textrinum . . . fuit. Hic usus dicendi, quamvis latinus et purus sit, quoniam rarius sane occurrit, grammaticorum studium fefellisse aut librariorum errorem impulisse videtur. Exemplum tamen huius consuetudinis habes V 74: *fit gemitus omnium et clamor, cum tamen a praesenti supplicio tuo continuit populus Romanus se et repressit et salutis suae rationem iudicum severitati reservavit,* ubi cf. Richteri adn., praeterea in Pison. 27: *cum tamen ille collegit ipse se vix, sed collegit tamen.*

Alterum illius quam dixi permutationis exemplum est Verr. IV 42: *ceteri hoc statuerant, quoniam iste tantum cupiditate progrederetur, nihil esse quod quisquam putaret se, quod isti paulo magis placeret, conservare aut domi retinere posse.* Hanc sententiarum rationem enarrari non posse arbitror nisi hunc in modum: quod isti placeret, hoc iam nihil esse, cur quisquam domi retinere se posse putaret.

Ac tamen permultae causae erant, cur illa retinere se posse putarent, sed quid praetoris furori opponerent, hoc scilicet non habebant: facile enim, quod voluerat, per vim auferebat. Hanc autem rationem levi corruptela obscuratam sic inlustrare licet: *nihil esse, quod quisquam putaret se, cum isti paulo magis placeret, conservare aut domi retinere posse.*

Tertium denique exemplum in Verr. II 109 mihi hoc se obtulit: *dubitabitis exemplum iudicum illorum sequi, qui damnato Cn. Dolabella damnationem Philodami Opuntii resciderunt, quod is non absens reus factus esset, sed cum ei legatio iam Romam a suis civibus esset data?* Coniunctione *quod* declararetur, quibus causis adducti Dolabellae iudices damnationem Philodami rescidissent. Cicero vero causam contrariam ex suarum rerum memoria adferre et cum illa Philodami causa comparare vult, quod nisi coniunctionis concessivae usu consequi non potuit. Quare dubium non est, quin Cicero ipse dixerit: *cum is non absens reus factus esset.*

Verr. V 28: *nam scitote oppidum esse in Sicilia nullum ex eis oppidis, in quibus consistere praetores et conventum agere soleant, quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. Itaque nonnullae ex eo numero in convivium adhibebantur palam; si quae castiores erant, ad tempus veniebant, lucem conventumque vitabant.*

Sententiarum rationem hunc in modum esse conexam apparet: multas ex multis oppidis mulieres Verri fuisse delectas ad libidinem, quibus ex mulieribus nonnullas palam in convivia convenisse, castiores luce vitata ad tempus venisse.

Consecutio igitur est nulla, sed mulierum illarum distributio ac descriptio. Qualem enim istam dicamus consecutionem esse futuram: quoniam mulieres non ignobiles ex oppidis delectae fuerint, iccirco nonnullas lucem conventumque vitasse! Hoc profecto absurdum esset. Quodsi consecutio ulla stare non potest, sed rei commemoratae explicatio et generum descriptio requiritur, pervolgatam illam corruptelam huc quoque invasisse et corrigendum esse *atque* pro *itaque* probabile est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Verr. V 29: *cum vero aestas summa esse coeperat, quod tempus omnes Siciliae semper praetores in itineribus consumere consuerunt, — — tum, inquam, cum concursant ceteri praetores, iste novo quodam genere imperator pulcherrimo Syracusarum loco stativa sibi castra faciebat.* Siciliae nomen interpolationi vel potius interpretandi cuidam studio deberi neminem adhuc animadvertisse demiror. Primum enim numeros orationis auresque auditorum offendit collocatio verbi Siciliae, efflagitatur enim hic ordo: omnes semper Siciliae praetores. Deinde rerum temporumque ratio conturbata est. Superiorum enim praetorum memoriam si renovare vellet Cicero, non *consuerunt* sed *consuerant,* deinceps non *concursant* sed *concursare soliti erant* dicere debuit. Vacillat quidem eorum ratio, qui ceteros praetores, quamquam antecesserit *Siciliae,* ad omnes ceterarum populi Romani provinciarum praetores pertinere putant. Verum tamen ut res ita se habeat, quoniam ad nostram quaestionem nihil refert, hoc relinqui satius esse duco. Eodem quo Verres tempore nemo, post Verrem unus Metellus Siciliae praetor fuit. Manifestum igitur Ciceronem non Siciliae modo praetores, qui antea posteave fuerint, recordari, sed omnium qui ubique sint aut fuerint populi Romani praetorum consuetudinem atque industriam uni Verri oppositam velle. Atque hoc ita esse, comprobatur ex similitudine eius loci qui sequitur § 80: *nam aestate summa, quo tempore ceteri praetores obire provinciam et concursare consuerunt, eo tempore ad luxuriam libidinesque suas domo sua regia contentus non fuit: tabernacula collocari iussit in litore.*

Verr. V 44: *Navem vero cybaeam maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam cybaeam, palam aedificatam sumptu publico tuo nomine publice sciente tota Sicilia per magistratum senatumque Mamertinum tibi datam donatamque dico.*

Corruptissimum hunc locum aliqua ex parte emendavit Halmius, cum verba *pulcherrimam — — cybaeam* spuria esse et extrinsecus adiuncta cognovit. Sed priore etiam loco *cybaeam* illam a grammaticis invectam esse ex §§ 50 et 59 coarguit non modo ipsa nominis conlocatio, sed etiam ex comparatione similium locorum colligitur, veluti II 13, IV 19. 150. V 136. Sententiam autem ipsam hoc modo distinguendam esse censeo: *navem* vero maximam triremis instar palam aedificatam sumptu publico tuo nomine, publice sciente tota Sicilia tibi datam donatamque esse dico. Etenim illa navis sumptu publico Verris nomine est aedificata, eademque publice, i. e. senatus Mamertini auctoritate, Verri data donataque est. Atque ut publice a Mamertinis navem hanc datam esse apparet, ita parum veri simile est, ut hanc rem magno comitatu et apparatu concelebrandam susceperint magistratus et senatus Mamertinorum. Quod si ita factum esse Cicero diceret, non profecto erat cur *sciente tota Sicilia* adiciendum atque collocatione ipsa post ipsum adverbium *publice* efferendum putaret. Nam quod apparatu publico fit, hoc ipsum pervulgari solet ore et sermone hominum: publice autem idemque clam factum tota Sicilia tamen perrebuisse hoc vero mirum et memoratu dignum videbatur. Vitium autem orationis hoc modo serpsisse videtur. Primum adverbium *publice* requirebat explicationem: supra scriptum est *per magistratum.* Quae verba cum describendo, ut fieri solebat, in ipsum versum et contextum devenissent, hoc emblema coniunctione *que* copulari coeptum est: postremo in libris deterioribus, cum *per*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

magistratumque Italis parum commodum visum esset, addito ex similibus locis *senatum*-[que] omnis additamentorum ratio consummata est. Quae contra hanc opinionem attulit exempla C. Fr. W. Mueller, ea illam nequaquam convellunt et natura ipsa diversa sunt. Et quoniam additamenta aliquot in Verrinis indicavi, unum saltem adiciam IV 119, quo mihi clarissima illa Syracusarum descriptio aspersa videtur: *altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est.* Nam qui paulo ante dixerat Syracusas tantam esse urbem, ut ex quattuor urbibus maximis constare diceretur, easque ipsas partes vel urbes dinumerare et describere coeperat, is alteram partem vel urbem Syracusis, i. e. in urbe Syracusanorum, fuisse proprio verbo repetere non potuit.

Consulatum suum cum Pisonis consulatu componere coactus Cicero in ea oratione, quam in Pisonem habuit, primum (§ 4—5) quid ipse gesserit exponit ac principia omnium enuntiatorum pronomine *ego* saepius repetito effert et illuminat, deinceps (§ 6—7) testimonia bene rei publicae gestae ornatissima cumulat eorum, qui consulatum suum approbaverint: primum virorum amplissimorum et clarissimorum, deinde universi senatus, denique cuncti populi vocem et consensum. Haec autem ad summum honorem gradibus ascendens oratio in eis quae nunc habentur editionibus uno enuntiato primario interposito admodum fracta et eversa est: *Me Q. Catulus, princeps huius ordinis et auctor publici consilii, frequentissimo senatu parentem patriae nominavit. Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus civicam coronam deberi a republica dixit. Mihi togato senatus, non ut multis bene gesta, sed ut nemini conservata re publica singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit.* **Ego cum in contione abiens magistratu dicere a tribuno plebis prohiberer ea quae constitueram, cum**[que] **is mihi tantum modo ut iurarem permitteret, sine ulla dubitatione iuravi rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam.** *Mihi populus Romanus universus illa in contione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, cum meum ius iurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit.*

Hoc mihi indicatum vitium orationis facile sublatum erit, si sententia illa expressa ei quod sequitur enuntiato subiecta totum verborum ambitum hunc in modum distinxeris: *Ego cum in contione . . . . . ut iurarem permitteret, sine ulla dubitatione ut iuravi rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam, mihi populus Romanus* etc. Ita non duae laudes proferuntur, sed unius populi magnificum testimonium una sententia concluditur. Exempla coniunctionis *ut* temporali vi similiter et adhibitae et locatae suppeditat Merguet, Lex. Cic. IV 1054 a.

In Pis. 14: *Idem illo fere biduo productus in contionem ab eo, cui sic aequatum praebebas consulatum tuum* etc.

Cicero Pisoni exprobrat in enuntiato relativo, tamquam avaritia fecerit, ut P. Clodii quasi adstrictus servitute eius sceleri addiceret suum consulatum. Ille autem cum propalam in Cicerone crudelitatem reprehendisset, hic telum rettudit et quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

muneris amplissimi maiestatem Clodii saevitiae crudeliter iugulandam praebuisset, gravissimis verbis obiecit. Quare corruptela huius loci nescio an sic emendari possit: *cuius sicae necandum praebebas consulatum tuum.* Eodemque modo iudicavit Cicero de Clodianis in Sest. 81: *cum rem publicam a facinorosissimis sicariis et a servis esse oppressam atque conculcatam videretis,* ubi tamen *conculcatam* splendida est Gulielmi coniectura, optimi libri asseverant *occultam,* quod quoniam de tribuno plebis Clodiorum caede occiso disputatur, mihi potius ex *ioculatam* = *iugulatam* depravatum videtur: oppressos enim homines sicarii non conculcant, sed iugulant nec illi pedes intentant sed manus adferunt.

In Pis. 43. *Fortunae enim ista tela sunt, non culpae; [supplicium autem est poena peccati]. Neque vero ego, si umquam vobis mala precarer, quod saepe feci, — in quo di immortales meas preces audiverunt —, morbum aut mortem aut cruciatum precarer. Thyestea est ista exsecratio poetae vulgi animos, non sapientium moventis.* Praetermitto scholasticum additamentum, quod supra inducendum putavi: huius modi absurdissimae ineptiae non disceptandae, sed insulsis hominibus tamquam deliciae condonandae sunt, — ceterarum sententiarum ratio perspicitur nulla, id quod dudum pervidit Bakius, qui quidem, cum *cruciatum precabar* correxit, difficultatem oblatam levius trasiluit. Ac tamen arte et remedio pervulgato scripturae traditae errorem facile removeri posse arbitror: *neque vero ego sic umquam vobis mala precarer, quod saepe feci, in quo di immortales meas preces audiverunt, non morbum aut mortem aut cruciatum precarer* etc.

Etenim Gabinio et Pisoni, ut rerum eventus viderentur congruere cum ipsius votis, Cicero non fortunae mala aut incommoda, sed bonorum omnium contemptum animique dolores acerbissimos se precatum profitetur. His se rebus pasci, his delectari, his perfrui dicit.

In Pis. 47: *Quid est aliud furere? non cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non civitatem?* Ab huius loci tenore et respondendi formam et verbum cognoscendi prorsus aliena esse, doctis profecto et intellegentibus non est qua re exponam. Chartae quidem parcendum est. Viam autem emendandi loci monstravit codex Monacensis, in quo quoniam *furere nisi non cognoscere* inest, quid tandem aliud antiquitus traditum fuisse opinabimur nisi: *Quid est aliud furere nisi non noscere hominem non leges, non senatum, non civitatem?* Corruptelae duo sunt genera, quae quo modo invaserint ac sententiam universam adfecerint, in promptu est.

In Pis. 59: *Dices enim, ut es homo factus ad persuadendum, concinnus, perfectus, politus ex schola* etc.

Quod Pisonem Cicero concinnum, deinceps perfectum dixerit, perfectumque rursus politum ex schola praedicaverit, hoc adeo mentem acerrimam Dobraci ac sagacitatem impulit, ut adiectivum illud *perfectus* excerptum et expunctum voluerit. Et subesse aliquod vitium ipse quoque concedo, sed leniore tamen remedio hoc volnus sanari posse opinor. Sic enim sentio: in archetypo *perpolitus* scriptum fuisse ita, ut *per* primo a librario omissum ab recognoscente correctore supra versum additum fuerit. Quae cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

alii deinceps librarii transferrent, oculorum errore accidit, ut praefixum illud ad antecedens adiectivum suo casu depravatum adiungeretur. Quod vocabulum quale fuerit, quaeritur. Commodissime vero cum concinnitate consociatur festivitatis notio, veluti 29, 70: *poëma porro facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius.* Ergo videor mihi proponere posse haec: *Dices autem, ut es homo factus ad persuadendum, concinnus festivus, perpolitus ex schola.*

In Pis. 70: *Rogatus invitatus coactus ita multa ad istum de isto quoque scripsit, ut omnes libidines, omnia stupra, omnia cenarum conviviorumque genera, adulteria denique eius delicatissimis versibus expresserit.*

Stuprorum commemoratio uni debetur Vaticano libro nec aliud quicquam nisi rustica libidinum circumscriptio est, quam ab huius loci festivitate alienam et absonam esse colligitur cum ex ipso ordine verborum parum commodo tum ex insequenti adulteriorum contumelia. Quam quidem ob rem ita emendari oportere existimo: *ita multa ad istum de ipso quoque scripsit, ut omnes libidines, omnia cenarum conviviorumque genera, adulteria denique eius delicatissimis versibus expresserit.*

Pro Mur. 3: *cui res publica a me una traditur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata.*

Halmius haec sana esse credidisse videtur, praeterquam quod *una* nondum feliciter emendatum esse putavit. Accuratius vero si intueare, facile maius vitium offendas. Participium enim a suo nomine participio diverso diiunctum et distractum sic stare non potest. Hanc autem participiorum turbam simul cum *una* vocabulo obscuro hanc in sententiam explicari posse opinor: *cui res publica a me ita traditur sustinenda, ut magnis meis laboribus et periculis est sustentata.* Eundem locum nuper diversissime, certe non felicius tractavit Madvigius (Adv. III).

Pro Mur. 9: *Si turpe existimas te advocato illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere.*

Nihil hac sententia magis absurdum. Nam ut turpissimum advocato sit clientem causa cadere, illud certe turpe esse nequit adversarium sive sua sive advocati sui inscitia aut neglegentia causa cadere: gratissimum quin immo illi esse solet. Nam „*quem contra veneris*“ hic nemo nisi litigantis adversarius esse potest. Quodsi ipse sententiarum nexus consideratur, certa correctio facile extricatur. Iureconsulti enim non numquam officio suo coguntur, ut non solum amicis, sed etiam amicorum adversariis de iure respondeant. Hac in difficultate illud tamen causa semel recepta summa religione cavent, ne clientes sui, quamvis ipsorum amicis litem intenderint, causa cadant. Quod cum ita sit, haec sententia restitui debet: *si turpe existimas te advocato illum ipsum, quem contra amicum iuveris, causa cadere.*

Pro Mur. 26: *Quae dum erant occulta, necessario ab eis qui ea tenebant petebantur, postea vero pervulgata atque [in manibus iactata et] excussa inanissima prudentiae reperta sunt, fraudis autem et stultitiae plenissima.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aliud est parum prudentiae reperire, aliud stultitiae aliquem arguere: illud est urbani hominis, hoc rusticum et agreste convicium. Accedit aliud. Prudentiam enim mancam et stultitiam inter se opponi tamquam res contrarias, cum natura secum coniuncta paene cohaereant, mihi parum cum ratione dicendi videtur congruere. Denique cum fraude aegre conciliatur stultitia: illa quidem ex dolo malo manat, haec ex inscitia profluit aut tarditate vel imbecillitate ingenii. Diversarum igitur adfectionum copulatio consereretur. Facilius fraudis crimini commune illud advocatorum opprobrium *astutiae* sociatur, quod quidem vocabulum hoc loco reponendum esse arbitror. Quae praeterea uncis supra inclusa sunt, ea mihi ex grammaticorum interpretumque studiis nata esse ac perspicuitatem et elegantiam orationis non minus conturbare videntur quam ea, quae deprehensa iam pridem et deleta sunt in Planc. 29: *procul apparet, non excutitur, [non in manus sumitur]*, cf. Wunder, Keil obs. crit. in Planc. 12, cum praesertim excutiendi ratio iactationem antecedat potius quam consequatur.

Pro Sest. 15: *Hunc vir clarissimus Cn. Pompeius omni cautione foedere exsecratione devinxerat nihil in tribunatu contra me esse facturum. Quod ille nefarius parum se foedus violaturum arbitratus est, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset.*

Plura in hoc verborum et sententiarum ordine dubitationem movent: plusquamperfecti usus parum perspicuus, pronominis a suo nomine diiunctio insolens, denique perfectum tenori narrationis interiectum; maxime autem advertendum est, quod in unico libro Parisiensi *arbitratut,* in Gemblacensi *arbitratus* exstat, verbum *est* in eisdem illis libris omissum a Pantagatho demum subiectum est. Accedit quod in eo, qui nunc proditur, sententiarum ordine, quo tandem consilio Cn. Pompei Cicero hoc loco fecerit memoriam, parum cognoscitur. Haec omnia plana et aperta fiunt, si ex praestantissimi codicis vestigio sic scribitur: *Hunc vir cl. Cn. Pompeius omni cautione foedere exsecratione devinxerat nihil in tribunatu contra me esse facturum, cum (quom) ille nefarius parum se foedus violaturum arbitratur, nisi . . . . . terruisset.* Ita tandem elucet, quo pacto sententia ista omnis cum Clodii traductione coniungatur. Nam quia omnis rei publicae perturbatio Ciceroni ex Clodii in plebem traductione profluxisse videtur, ne Cn. Pompei animum iam placatum offenderet, illius in hac re consilium factumque excusare studet, simul vitata ea suspicione, quasi ille sibi umquam fuerit inimicus. Quare hanc in sententiam disputavit: arcum non in se solum, sed in universam rem publicam esse intentum traductione in plebem P. Clodii. Nec vero ullam ea in re culpam cadere in Cn. Pompeium, qui furibundi hominis scelere nefario se in otium et securitatem recipere Caesarisque arbitrio concedere coactus sit.

Sest. 27: *Hac mutatione vestis facta, tanto in luctu civitatis omitto* etc.

Verba *hac — facta* iure A. Eberhardum offenderunt, ut ea tamquam spuria eicienda esse existimaret. Ac tamen interpolationis vestigium plane est nullum. Difficultas autem omnis tollitur, si scribas: *ac mutatione vestis facta, tanto illo luctu civitatis* etc. Syllabae *illo et in* in vicem permutatae deprehenduntur etiam § 8: *atque ego de Antonio nihil dico praeter unum: numquam illum in (illo* codd.*) summo timore ac peri-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

culo civitatis .... sedare voluisse, i. e. quamquam summus tum timor civium fuerit, eum tamen pervulgatam suspicionem tollere noluisse.

Sest. 2: *Ego autem iudices [quoniam], qua voce mihi in agendis gratiis commemorandoque eorum, qui de me optime meriti sunt, beneficio esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis, iis potissimum vox haec serviat, quorum opera et mihi et vobis et populo Romano restituta est.*

Hic sententiarum ambitus ut vel constitueretur vel explicaretur, duae adhuc viae temptatae sunt. Et Halmius quidem Madvigii auctoritatem secutus, nihil nisi *quoniam,* quod in codicibus deest, inserendum putavit. — Qua de re cf. Madvigii Opusc. p. 440, ubi quod Hotomanno auctore ab editoribus ante Halmium additum fuerat *(quia)*, dupliciter vitiosum esse demonstratum est. Ita duo genera hominum discerni videntur, primum eorum, qui de Ciceronis salute optime meriti fuerant, ut Lentulus et Pompeius ceterique qui in eadem causa laboraverant, deinde eorum, qui non consilio solum et auctoritate, sed vi manu copiis inimicorum impetus rettuderant, tum vero in ius iudiciumque reorum nomine vocati erant, in quibus erat P. Sestius et T. Annius Milo. Quem partium numerum si sequare, inexplicabilis oboritur difficultas: *in eorum periculis* fieri non posset quin revocaretur ad Lentuli quaedam aut Pompei pericula, quae tum in iure quidem aut apud iudices nulla fuerunt. Qua re denuo nuper O. Heine adductus videtur esse, ut Baki opinionem amplexus illa verba *iis potissimum vox haec serviat* omnino expunxerit, quibus sublatis nihil obstaculi relinqueretur, quin *in eorum periculis depellendis* conecteretur cum relativo quod sequitur enuntiato, quo designantur Sestius ac Milo. Sed ut omittam, instantis voluntatis modum *(vox haec serviat)* extremo principio et oratoris consilio optime convenire, quem tandem credituru putabimus, aptissima illa verba, quae maxime Ciceronianam consuetudinem prae se ferant, aut a grammaticis aut a scribis sive consulto sive fortuito esse adiuncta, quibus plana sententia obscurata orationis firmitas dissolveretur. Restat ut dumtaxat ad tempus emendationis specie adsumpta tibicinis auxilium quaeramus.

Finge quaeso in archetypo vetustissimo scriptum fuisse hoc modo: *ea nunc uti cogor in amicorum periculis depellendis:* iam haec dictorum existet ratio: cum in patriam redibam, in agendis gratiis tantum voce mea utendum putabam, nunc autem eadem mihi in amicorum periculis depellendis utendum esse video. Quod cum ita sit, omnium primum vox haec serviat eis amicis, quorum non modo consilio sed opera et manu vox haec populo Romano restituta est. Latet his verbis acerbitas quaedam: conqueritur enim Cicero, quod adversarii sui quasi agmine facto in amicos suos incurrant et aliis super alios pericula facessant: Sestii et Milonis nomina esse delata, sed alia etiam pericula ut Lentulo (cf. § 144), amicis suis aut intendi aut ab inimicis imminere. Et huius modi querellas per multas illorum temporum orationes disseminatas usque ad Plancianam defensionem audimus. Quare Ciceronem in periculis omnium amicorum, non unius Sestii aut Milonis, dolenter deplorandis exaggerationem et amplificationem quandam sibi indulsisse ratus equidem non repugnabo, quin tibicine illo enarrationis exstruendae abiecto ad Madvigii Halmiique scripturam redeatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Catonem et Laelium Theodori Schichii legenti mihi nuper illud se iterum atque iterum obtulit, nostras editiones etiam nunc procul abesse ab integritate Ciceronianae orationis. Velut in Lael. 53 soloecum est hoc: *quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre posset.* Sed quoniam in optimo libro Parisino traditum est *cum exultantem,* emendari placet: *cum exularet tandem se intellexisse* etc. In Catone § 84 aures offendit id quod nunc editur: *Quid habet enim vita commodi? quid non potius laboris?* Variant codices: alii *habet enim vita,* alii *enim habet vita,* alii denique *enim vita habet.* Inde verbum habendi inlatum esse et emendari oportere apparet: *Quid enim in vita commodi?* nisi malis: quid est in vita commodi? Mutatio facta est ideo, quod deinceps conceditur: *sed habeat sane, habet certe tamen* (?) *aut satietatem aut modum.* Ibid. 56: *poteratne tantus animus non efficere iucundam senectutem* secundum alterum codicum genus legitur, alteri *efficere non* praebent: mihi constans dicendi usus flagitare videtur, ut *non* tamquam spurium emblema deleatur. Itemque latini sermonis naturae adversum est § 31: *iam enim tertiam aetatem hominum videbat;* quamquam id plurimorum librorum auctoritate confirmatur, quoniam ceteri codices *tertiam iam enim aetatem* testantur, mihi corrigendum, i. e. additamentum eximendum esse certissimum est: *tertiam ille aetatem hominum videbat* etc. Maiore etiam vitio senum et adulescentum conparatio § 26 depravatur: *ut enim adulescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur leviorque fit senectus eorum, qui a iuventute coluntur et diliguntur, sic adulescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur.* Contrariorum ratio haec est: ut senes adulescentibus gaudent, sic adulescentes senibus: senes colunt adulescentes ac praecipiunt, rursus adulescentes praeceptis senum ad virtutem ducuntur, illi gaudent et senectutis onus deminuunt aliquid utile agentes, hi contra honestum aliquid ferentes vel accipientes. Sic ego mihi persuasi Catonem locutum: *leviorque fit senectus eorum, qui iuventutem colunt et diligunt.* Senes enim adeo iucundi potius quam odiosi sunt, ut quem ad modum ipsi amoris plenissimi iuventutis consuetudinem et confabulationem quaerunt, his autem ipsis sermonibus senectutis molestiam et desolationem defugiunt, sic iuventus eos studio et admiratione amplectatur et honore prosequatur. Senes non exspectant, dum colantur, sed ultro colunt iuventutem: ita eorum senectus levior fit. Paulo ante § 24 Ciceronem ita scriptum reliquisse spondeo: *quamquam in illis (aliis* vulg.*) minus hoc mirum est; nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere; sed iidem in eis laborant (elab.* vulg.*) quae sciunt nihil ad se omnino pertinere.*

Sed ut finem aliquando faciam, cum temporis angustiae tum rationes impensarum admonent.

Index.

Cato 24. 26. 31. 84. Lael. 53. Mur. 3. 9. 26. Pison. 7. 11. 14. 43. 47. 59. 70. Planc. 13. 22. 33. 88. 89. 102. Sest. 2. 15. 27. 81. 107. Verr. II 109. IV 42. 103. 119. V 28. 29. 44.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf